



**Ad principes populumque christianum, de bello, aduersus  
Turcos gerendo, Non diminutis publicis vectigalibus, neq[ue]  
expectata discordantium principum concordia**

<https://hdl.handle.net/1874/427620>

AD PRINCIPES  
POPVLVMQVE  
CHRISTIANVM,

DE BELLO,

Aduersus Turcos gerendo,

Non diminutis publicis vecti-  
galibus, neq; expectata discor-  
dantium principum con-  
cordia,

GWILIELMI BRVS-

SII SCOTTI

Consilium,


SERENISS. PRINCIPI  
FERDINANDO, CAROLI FILIO,  
ARCHIDVCI AVSTRIÆ, DVCI  
BVRGUNDIAE, CARINTHIE,  
STIRIAE, CROATIE, &c.

*Perpetuae obseruantiae ergo dicatum.*

LIPSIAE.

ANNO

M. D. XCV.



S E R E N I S S I M E  
A R C H I D V X  
F E R D I N A N D E ,



*Emirentur a-  
lij, cur tibi praci-  
pue istum de bello  
Turcico libellum,  
vix pubertatis  
anno egresso, pra-  
reliquis omnibus*

*Christianis principibus inscribendum a-  
stimauerim: ratio est: animos princi-  
pum, non opes spectare soleo: neq; deos  
aut heroas, sed mortales eos esse sentio.  
Itaq; tantum singulis tribuo, quantum  
in illis virtutis, ingenij, industriae, be-  
nignitatis experior esse. In quo sane:  
complures autem, immo cunctos ferè I-  
taliae, & Germaniae penitus noui: regia  
indoles, fortitudinis, prudentiae, clemen-  
tiae, quaë virtus Austriacorum principum  
propria quasi censemur esse, benignitatis  
ac facilitatis reserta magis eluceat, vidi  
neminem; adeo ut primo quasi conspe-*

et tu visus fueris, ut ait vetus ille, magna  
spes altera Romæ, vel, si manus, Austria:  
pauci, ad quos ista magis cogitatio per-  
tineat; nullus, ut à sapientissimo & re-  
uerendissimo Domino Bugerino, Episco-  
po Tergestino, & doctissimo Turnero  
accepi; atq; ut ipse sum expertus, qui  
magis istis sermonibus & historijs dele-  
ctetur: adde etiam ita me transeuntem  
in Hungariam, à tua serenitate beni-  
gnè esse exceptum; ut & præcipua te  
semper obseruantia mihi colendum pro-  
pôsuerim. Quid tandem, inquies? an-  
ne deserta militia, gladium in stilum  
conuertisti? minimè profecto: nego enim  
me fatalia terrent. Sed cùm in Hunga-  
ria non viros, sed usum virorum deesse  
viderem: malo quidem minus Latinè,  
quam nimis acerbè scribere: latere va-  
cuum in castris meis impensis, ignauis  
operam & sanguinem in gratiam eo-  
rum, quibus nihil debebam, temerè ef-  
fundere, desperati hominis esse putauis,  
in Poloniam exurri, transigenda hye-  
mis causa, prouinciam niuibus & frigo-

re obrigescem; sed viris doctissimis,  
fortissimis, humanissimis, locupletissimis,  
nullibi etenim tantas priuatorum nobis-  
lium opes esse vidi, abundantem. ita ut  
affirmare verè possim, me, sicut in Ita-  
lia palatia & antiquitatis monumenta,  
in Gallia milites, in Germania princi-  
pes, in Hispania presules, in Anglia a-  
gricolas, in Polonia viros nobiles, omni  
laude & admirazione dignos inuenisse.  
Donec redeunte belli gerendi tempesta-  
te, industria in clara aliqua urbe de-  
fendenda, vel in maiore aliquo prælio  
possem ijs, quibus minus essem notus, in-  
notescere. Hic me illustris Dominus Ko-  
morouius, non tam ampla & copiosa di-  
tione, quam præclarissima & verè He-  
roica sobole, fortunatissimus, aduentan-  
tem humānē excepit; ac prædio etiam  
militari post paucarum septimanarum  
ūsum locupletauit. ubi, ne tempus otio  
nimis negligenter transigere viderer,  
inter proficiscendum per varias istius  
regni prouincias, consilium hoc exaraui;  
ut Christianos ad salutaria magis con-

consilia inquirenda, hoc quasi praconio  
excitarem: in quo multa subtiliora  
consultò pratermissi, ne ad hostes de-  
lata nobis antè noceant, quām ullus  
terum istarum nostris, qui negligentio-  
res esse solent, usus existat. Quid si  
regia illa, ac penè diuina mentis tua  
irutina & examinatum placuerit; auho-  
ritate, ut effectum consequatur, eniti  
poteris: ut tibi, qui istis studijs admo-  
dum delectaris, oblectamento esse saltem  
poterit. Hic enim habes omnium ferè,  
qui nostra etate vixerunt prestantissi-  
morum belli ducum historiam, & ve-  
ram non simulatam recordationem,  
quos veteribus illis nulla in re conce-  
dere existim: qua in re Tuam S. mihi  
consensuram non diffido, si, quod suadeo  
maxime, res gestas eorum, & viuendi  
rationes penitus inspexeris: pro Iulio  
Caſare & Auguſto, Carolum propa-  
truum tuum; pro Fabio Maximo, Fer-  
dinandum patruum; pro Hannibale,  
Henricum ducem Guisum; pro Scipio-  
ne, Henricum Naharræ & Gallia re-

gem;

gem; pro Alexandro magno, Alexandrum illum Parma ducem imitandos tibi existimo. Sed currentem incitare, prasertim cum prudentissimos tibi monitores adesse intelligam, non est opus. Vale. Cracouiae 4. Calend. Martij. Anno Domini 1595.

Serenitati Vestræ

Ex animo deuotus

Gulielmus Brusius.

Ad Lectorem.

Viue, vale, si quid nouisti rectius istis,  
Candidus imperti: si non, his utere  
mecum.

AD PRINCIPES,  
POPVLVMQVE CHRI-  
STIANVM, DE BELLO ADVER-  
SUS TYRCOS GERENDO.

**T**Si vobis omnia sup-  
petunt consilia, quæ conse-  
qui ingenio homines, aut  
usu, aut diligentia possunt: cùm in  
hoc orbe Christiano, atq; in ipsis et-  
iam vestris castris, tot existant viri,  
literarum cognitione, rei militaris  
scientia, atq; rerum gerendarum vnu-  
præstantes; tamen ab officio meo  
non sum arbitratus alienum expo-  
nere, quæ mihi in mentem venie-  
bant, dies ac noctes de expeditio-  
ne vestra in Turcos cogitanti. Mira-  
bar equidem, in illo augustissimo or-  
bis terræ concilio, cùm non ita pri-  
dem Ratisbonæ conuentus ageren-  
tur, nihil de bello conficiendo, at  
solùm leuia quædam subsidia om-  
nium sermone agitari; tanquam res  
nos

non cum potentissimo Turcorum ty-  
ranno, sed cum aliquo regulo eslet  
futura. Atque iij etiam, quos rerum  
istarum peritos esse magis intellexi,  
ita mecum loquebantur; vt non de  
bello, sed certa de victoria eslet de-  
cernendum. Tyrcos nostrorum mi-  
litum conspectum ferre non posse:  
imbellem esse hominum barbaro-  
rum turbam, cui arma, animus, dux  
belli denique deesset. Ego contra  
præsentiebam id consequuturum,  
quod tristibus tandem nuntijs ad o-  
mnes orbis nostri partes pervenit:  
ita constitutam esse rem militarem  
apud illam gentem, eamq; esse illius  
tyranni potentiam; vt tam exiguis  
copijs non coërceri, nedum minui  
aut tolli possit. Ista itaque expedi-  
tione, nō debellare hostem, sed irri-  
tare nostros posse. Etenim vbi num-  
morum sit copia, hominumque fre-  
quentia, facile bellatores & fieri &  
reperiri, compertum habebam. Id  
tamen affirmare verebar, ne vel omi-

nari male nostris, vel plus aliquantd  
arrogare mihi viderer, si solum sa-  
pere me, in tanta sapientissimorum  
hominū frequentia, præ me ferrem.  
Nunc verò, cùm res Christiana in  
extremum penè discriminem deducta  
sit, capto firmissimo nostro propu-  
gnaculo, spoliatis, ac dissipatis co-  
pijs; mihi, tanquam Christiano, cui  
Dei cultus, & Christiana religio, ac  
fociorum salus cordi esse debet;  
quod ante mente & cogitatione ta-  
cita continebam, effari sine ini-  
diæ metu demum licebit. Ut, si quid  
vel literarum disciplinis, vel diutur-  
no apud fortissimos belli duces in  
castris vsu, vel longinquis per va-  
rias terrarum orbis prouincias pe-  
regrinationibus sum assequutus, un-  
de medicina aliqua afflictæ rei Chri-  
stianæ possit afferri; id omne in ali-  
quam ciuium meorum, ac focio-  
rum, sacrosancto baptismi vincu-  
lo coniunctorum utilitatem, tan-  
dem redundet. Nam, si quicquid in  
nobis

nobis vel ingenij, vel fortanæ, vel  
deniq; virtutis est; id omne à D 2 o  
omnipotente, per Iesum Christū ac-  
cepimus: fortunas, opes, ac vitam  
etiam ipsam, nedum consilia, in istud  
bellum decouere, quo de diuino  
cultu, & Christiani nominis gloria,  
ac coniunctorum populorum salutem  
dimicatur, quis Christianus recusa-  
bit? Quod profectò, si decimus quis-  
que nostrum efficerit: non erit ve-  
rendū, quin breui relicta Hungaria,  
Græciam hostes, spe, quam de Ger-  
mania debellanda conceperunt, in-  
metum desperationemq; conuersa,  
sibi propugnandam existimabunt.  
Quod ut seriò tandem cogitemus,  
copiæ nos monent, ex Asia vndique  
& Græcia coactæ, maxima vis com-  
meatus Constantinopolim deuicta,  
præsidia nostra munitissima inter-  
cepta, ac hostium deniq; exultatio;  
qua deculti Christiani orbis præce-  
ptam animis lætitiam ostentant. Ne-  
que est, quod vel Hispani, vel Galli,

vel Britanni putent, ab isto Turcico  
bello nihil ad se periculi pertinere.  
Nam debellata Germania, quod o-  
men De vs obruat, tantæ suppetent  
hostibus vires; ut terra marique si-  
mul oppugnare reliquas orbis no-  
stri prouincias facile possint. Flu-  
uiorum etenim opportunitate, com-  
meatum è Germania, additis legio-  
nibus, quas ex deuictis ciuitatibus  
conflabunt, quo velint circumferre,  
non erit difficile. Quamobrem glo-  
riosum magis atq; vtile nobis futu-  
rum arbitror, non expectato rerum  
nostrarum vltimo discrimine, bel-  
lum à limitibus nostris Bizantium  
transferre: ac nos tandem atque li-  
beros etiam nostros Mahumetanæ  
tyrannidis, servitutisque metu libe-  
rare, quod nobis non ita arduum,  
quam Hannibali fuit ab vltimis Hi-  
spaniæ oris in Italiam, aut Scipioni  
in Africam, aut Alexandro in In-  
diam, aut Christianis copijs in Asiam  
duce Godofredo, vel Conrado tran-  
scer-

scendere, futurum est: nullum est enim nobis mare traiicendum, nullæ solitudines aut deserta loca, quæ remorari nos possint: per paucæ urbes munitæ, fluuij denique ac montes difficiliores, in amicorum Christianorum sunt potestate: atqui, ut vetus habet dictum: Qui vult quod vult, ita se res dat, ut operam dabit. Neque etiam est, cur Anglia, vel Gallia, vel Polonia, vel Venetorum ciuitas, foederis se, aut publicæ conventionis alicuius cum Turcis initæ praetextu, ab auxilio Christianis præstando excuset: satis etenim universo terrarum orbi, quæ sint leges & pactionum causæ Turcis cum istis Christianis, gentibus innotuit; adèò, ut non foedera, sed pacta solum de non offendendo, hostes ipsi definiant: ea namque Mahometanorum est superbia, ac Christiani nominis contemptus; ut nobiscum æquis foederis conditionibus coniungi nullo nullo pacto velint: unum in

cœlis Deum, vnū suum tyrannum in  
terris dominū atq; imperatorem esse  
debere: nullam legitimā Christianis  
principibus, quos canes dicere con-  
sueuerunt, competere potestatē, ma-  
nifestē prædicant: cū Polonis sacro-  
sanctū fœdus, quatenus de commo-  
dis eorum agiūr, esse sibi singunt:  
quia ab illa gente admodū bellico-  
sa, & fortissimorum nobilitum nume-  
ro præpotente detrimenti plurimū,  
emolumenti verò parum, si bellum  
gerere velint, sibi contingere posse  
præuident: paucis existentibus locu-  
pletibus, aut amoenis urbibus; quas  
si viceriat, victoriæ pretium occupa-  
re vel retinere possint. Fallum itaq;  
simulatum q; perpetui fœderis, ac pa-  
cis velum obtendunt; vt vicinorum  
populorū calamitates despiceret ne-  
queant Poloni. Re ipsa verò, nullum  
sibi cum ijs intercedere vel fœderis,  
vel induciarū vinculum declarant, cū  
singulis ferè annis illorum artib. Scy-  
tharum innumerabilis multitudo, ad  
Poloniam devastandam immittatur:

cū

cum hac proxima estate, depopula-  
tis prouincijs, per quas transferunt,  
in Hungariā penetrauerint: nō enim  
Tartari, sed Turci sunt censendi, qui  
à Turcis pretio cōducti, Polonis no-  
cuerunt. Cū his Galli, Angli, Veneti,  
quò facilius Hispanorum imperiū ac  
potentia dilaceretur, conuenerunt:  
cuius tamen coniunctionis, nullum  
præter ciuium contumelias, nauium  
& merciū rapinas, vrbium direptio-  
nes sunt consequuti. Quare nulla pa-  
ctione, nullo fœderis vinculo obstri-  
cti, aut obligati sunt nostri Christiani  
homines, cū hostes toties ante fictis  
istis conuentionibus, quoties depræ-  
dandi littora vel naues datur occa-  
sio, aperte renuntiauerint. At sint ista  
ab aduersarijs pacta sancte, integrēq;  
obseruata: non tamē à nostris primū,  
si socios & vicinos Christianos à ty-  
rani armis ac vi defenderint, violata  
ea dicere audebūt. Sunt etenim istæ  
publicæ fœderū, pacis, & induciarū  
conuentiones, vt Iuris. loquuntur,  
contractus stricti iuris, quib. id tan-  
tum

tum debetur, quod verbis est expressum. In nullis autem conuentionibus, quas sciam, ita sibi diligenter Turci cauerunt, ut nostri à defendendis socijs prohibeantur: neque si qua gens tam amens, tamq; consilio & pietate destituta fuerit; vt id polliceri auderet, ad illud seruandum vlo gentium iure, aut ciuili, aut naturali obligaretur. Nam vt in priuatis, ita in publicis negotijs, seu promissionibus, an fieri possit, an liceat, an sit honestum, spectamus; ita vt non renear, et si cœlum digito tangere, vel hominem interficere iurauerio. At sane promissio de Christianis socijs non tuendis, defendendis ue, non minus cum ratione, cum iure naturali ac diuino, quam istæ cum iure ciuili ac humano pugnat. Siquidem proximum ut nosipios, ac Deum in primis omnipotentem præ omnibus diligere debeamus. Quæ potest esse iusta deserendi proximi causa? aut quæ pactionis excusatio, non refut.

resistendi illis hostibus, qui non vi-  
cinos solum opprimere, sed diuini  
cultus ac religionis nostræ monu-  
menta, memoriamque delere, ac i-  
psum etiam dominum redempto-  
rem nostrum Iesum è supremo cœ-  
lestium cœtu tollere conantur? At  
demum, si generali pacis & inducia-  
rum conuentione niti hostes volue-  
rint; nullo eos, quos memini cum  
Turcis generaliter transegisse, à de-  
fendendis iam socijs vinculo prohi-  
beri, quisquam vir prudens dicere  
audebit, qui non huiusmodi contra-  
etum initio contra omnem pietatem  
humanitatemque iniri expressè &  
valere potuisse probabit. Quia, ut  
Iuris. docent, omnis pactio, con-  
uenatio, iure ipso irrita, sublataque  
censemur: quoties in eum incidit ca-  
sum, à quo inciperem non potuit. Quæ  
omnia legatos, qui vel ex Hungaria,  
vel Germania, vel Polonia, rerum  
Turcicarum periti, rei militaris cœn-  
stituendæ causa ad reliquas orbis

b      nostri

nostris partes dimittentur, & copiosius explicare, & facilius persuadere posse, non est dubitandum. Quos vno anno regna, quæ memini, peragrare, si mense Junio ex Dania in Scotiam soluerint, inde in Angliam & Hiberniam, post in Hispaniam atque in Galliam, deinceps & Belgium, posse non diffido: neq; enim comitia in illis plerumq; regnis expectare necesse; aut sicuti conuentus haberi opus videbitur, literis moniti Principes in tempus, quo legati aduenient, statuere poterunt: vel si periculum in mora videretur: ad singulas mitti prouincias diuersi, qui eodem quasi momento rem conficiant, legati poterunt. At vero, permagna, dicet quis, pecunia, & militum numero opus erit: quæ duo Christianis iam hominibus, religiosis opinionibus, & bellorum odijs ita dissentientibus, confici posse vix est sperandum. Cui affirmare possum, bis centum hominum millia requi-

requiri, quibus ut stipendia soluantur, atque ut necessarij belli sumptus suppeditentur, quinquies & vi- gesies centena aureorum millia, seu ut vulgo dicimus, viginti & quinque myriadas in promptu esse debere. Non ita profecto nostri se hostes erigent, nec ita Pannonia nunc afflita animum despondebit; si non expectato maximorum Christianorum regum vel auxilio, vel concordia, vnde tot milites, vnde tanta pecunia istis etiam Christianæ Reipublicæ temporibus, sine magno aliquo nostro incommodo, colligi facile poterit, ostendero: dummodo nostri Principes, qui renouatae pietatis Christianæ laudem sibi vendicant, aperte hostes non iuuerint. E quibus Angliae Regina, Christianorum consilia plurimum & iuuare, & impedire poterit: quæ tamen pro singulari prudentia, qua eam præditam esse perpetua & constans regnandi felici-

tas, tot tantisq; domi forisq; immi-  
nentibus hostibus, abunde declarat,  
nunquam committet; extrema præ-  
fertim iam penè sepe cōstute, ut, cùm  
Christianæ fidei defensionem præse-  
ferat, impedimento Christianis, in  
hostibus fidei à ceruicibus repel-  
lendis esse velit: est enim magni a-  
nimis, atque immortalis gloriae cu-  
pida mulier: qua si serio rem agi ab  
uniuerso populo Christiano viderit,  
aliquam laudis partem, quatenus  
per pœta, amicitiamque cum Tur-  
cis iuitam licebit, ad se pertinere ex-  
optabit: cùm de Germanorum prin-  
cipum præcipue discrimine agatur,  
quorum cum plerisque magna illi  
coniunctio, necessitudoque interce-  
dit. Huic proximus, & successionis  
iure, & potentia Scotiæ rex est, ma-  
gni consilij & virtatis iuvenis, non  
ita Caluini sectatoribus deuotus,  
quin Christiani populi, ac potissi-  
mum Germanorum gratiam sibi &  
salutem omni ratione tuendam con-  
fir-

firmandamque putabit. Istorum exemplum Batavorum ciuitas haud difficulter sequetur. De Gallis Calvinianis, non est ita laborandum: quinquam iam regis exemplo, Catholicis & quiores paululum facti, ab istius se belli consilio non vehementer abhorre ostentabunt. Succi regi suo, cum intelligant, propter hostium Turcorum vicinitatem non parum esse timendum, quicquid afferre subsidij vel auxilij poterunt, nisi & regis & totius Reipub. Christianæ hostes haberi voluerint, non recusabunt. Neque vero, quæ maximè obstat videtur, Hispaniarum & Galliarum regum discordia, quæ iam altas ita radices in utroque regno egit, ut tolli facile, nisi altero vel sublato vel debellato, non posse videatur: neque enim ullus alius discordiarum solet exitus esse inter magnos & potentes reges, nisi aut uniuersus interitus, prouinciarumque vastitas, aut victoris dominatus, aut

regnum, impedimento ut sit, est per-  
timelcenda. Nam ea est Galliarum  
regis, de quo maxime dubitant  
Christiani, animi fortitudo & sin-  
ceritas; ut quatenus viderit istis Chri-  
stianis copijs Austriacorum princi-  
pum potentiam, ut & alij, quos me-  
mini, qui Hispaniarum regis opes  
reformidant, non augeri, sed rem  
Christianam necessariò defendi,  
tucrīque, quantum belli, quod ge-  
rit, magnitudo, difficultasque feret,  
ac vetus maiorum cum Turcis con-  
uentio, fœdusque patietur; non mo-  
dò non prohibebit, sed copijs et-  
iam Gallicis, vt iuuetur res Christia-  
na, libens concedet. Alterius porro  
tum pietas in rem publ. Christianam,  
tum necessitudo cū Germaniæ prin-  
cipibus, quorum res hoc bello po-  
tissimum agitur, ita est manifesta; ut  
de illius voluntate ac studio, & auxi-  
lio etiam maximo, nisi difficilimis  
bellis destineretur, nullo modo du-  
bitandum quisquam putet. Verunca-

men mea sententia , legati , quos rei Christianæ causa ex Hungaria , Germania , Polonia mittendos esse dixi , tres istis regibus conditiones , haud iniquas proponere poterunt , quibus bellorum , quæ geruntur , sauitia , in amorem , perpetuamque concordiam , amicitiamque conuerti transmutarique possit . Cæterum quid ? annè Italiæ , Germaniæ , Poloniæ , & Pannoniæ principibus tantum belli onus imponendum est ? annè ex istis solis regnis tanta vis pecuniæ , tanta militum multitudo conflari poterit ? minimè verò : et siistarum nationum intersit maximè arma capere , ac se , suosque hoc belli initio tueri : nam post , debellata Hungaria , coire facile , ac vires coniungere non poterunt . Neque enim Hungariam tantum in potestatem redigere , sed reliquum etiam omnem orbem Christianum , atque Italiam in primis contendunt . Neque quod maius est , ex principum Italiæ

vel Germaniæ ærario ullum numum exposco : ex namq; nunc sunt principum similitates, & mutuus vicinorum quasi metus , in tot partes summo Romani imperij iure distracto; ut ætarium quisq; exhaustire, aut vecigalia minuere nolit ; ne opibus destitutus , vel à ciuibus deseratur , vel à vicinis superetur. Italiæ præterea principes , publicis vecigalibus ad littus mareque tuendum egere manifestum est : Germani quidem non ita abundant, cum plures sint ex una quaque familia , quibus singulis dignitas , nomenq; principis est tuendum. Episcopi vero, quibus & opes & ditiones seu prouinciæ sunt amplissimæ , ita euangelicorum consilia habent suspecta ; ut contra vim, nullos sibi thesauros sufficere arbitrentur: sed cum de Christianorum omnium salute , ac libertate agatur, nec minus Christiana religio, ad priuatos, quam ad principes pertineat; omnium erit, qui nomina Christo in bapti-

baptismo dederunt, eidem bonorum quoque partem, pro communione omnium salute, pie sancteque deuovere. Neque eam magnam ut vocant, expeto: sed tantum ut det Italia, quantum alea priuati, vel inueniente solenni ieiunio ludis consumunt: amplius octies decies centenaria millibus fore pecuniam, nemo qui viderit Italiam, non coniicet. Sed ut certa sit quantitas, centesimum saltum ex bonis numum ut singuli destinent, est efficiendum. Quod tributum eam quam memini pecuniam adaequari posse, qui priuatorum Italorum opes norunt, facile consentient. Germaniae vero non sunt tantæ diuinitæ, non minor tamen in conuicijs & compotationibus luxuries: ita ut vix aliqui reperiatur, qui non decimam reddituum vel fructuum, vel mercedum partem in vino, non ad sitim sedandam, sed ad ebrietatem conflandam, consumant: quæ pecunia, si ad rem pub. iuuant.

dam transferatur , non minor erit  
numorum quantitas, quām ea quam  
ab Italī conferendam esse exposui-  
mus. Sex itaque & decem myria-  
das Itali & Germani , nullo penē ci-  
uium incommodo, nulla diminutio-  
ne publicorum vectigalium soli con-  
tribuent. Poloni porrō , si à singulis  
capitibus, quæ plebeiæ vel ascripti-  
tia sunt conditionis, ad familiam a-  
lendam idonea , singulos duntaxat  
aureos exegerint ; ter decies cente-  
na millia facile numerabunt. Vel si  
nobilitas fœdere se constringi putar-  
uerit, vt socios iuuare , ac rei suæ in  
posterum prouidere non possit , ex  
ecclesiasticis prædijs , quorum om-  
nium vbiique terrarum summum, seu  
vt Iurisconsulti dicunt, directum do-  
minium ad summum Pontificē spe-  
ctare , vetus est sententia ; iussu eius-  
dem summi domini facile colligi,  
non violata etiam fide publica , po-  
terit. Quippe cūm in uno isto regno  
ad ducenta quinquaginta & am-  
pli-

plius, ut accepi, pagorum & oppidorum millia possideat Ecclesia. Quibus si adiecerint, quae in splendidis indumentis inutiliter, atque in mercibus peregrinis & speciebus non necessarijs comparandis, consumunt, tanta protectio accessio fiet, sine aliquo vel reipub. vel ci-vium detrimento; ut non sit magnopere nobis de reliqua pecunia laborandum. At delicias simul cum pecunia repente hominibus extorquere est difficile. A Polonis itaque ad Hispanos transibo, quorum ea est religio, ac studium rei Christianae, ut non sit verendum, quin accedente sacerdotum adhortatione, amplius quinquies decies centenis milibus, tum ex Hispanijs, tum ex alijs maximis illis longinquis provincijs, quae in imperio sunt Hispaniarum regis, consequi possimus, si singuli diuites seu locupletes, quinos saltem aureos contribuerint. Non sanè minor est populus

puli Gallici pietas, ac reipub. adiu-  
uandæ voluntas: ita vt si non ita fre-  
quentes essent exæctiones, vrbium-  
que direptiones, atque adeo incer-  
tæ priuatorum omnium fortunæ;  
non minus inde, quæ ex Hispanijs  
adiumenti esset sperandum; si regi  
præsertim id gratum fore confide-  
rent. Sed eæ iam in Gallia tem-  
pestates, ac bellorum fluctus exi-  
stunt, vt omnibus opibus, & priua-  
tis & publicis, ad gubernacula rei-  
pub. tenenda, confirmandaq; egere  
videatur: haud inuitus tamen rex  
concedet, vt ciues, seu optimates  
Galli, qui contrà pugnant, se suaque  
vestigalia isti bello consecrent: Vel  
etiam, vt capti hac conditione di-  
mittantur, pro singulari clementia,  
qua captos prosequi solet, non re-  
cusabit: Vel quod non minùs utile  
videtur, vt quinta vel septima pars  
prædæ, quæ vel ex captis hostibus,  
vel vrbium direptionibus conse-  
quetur, vtrinq; in bellum hoc Chri-  
stia-

stianum destinetur : quas facile conditiones admittent hostes , ac Turcis sine villa publicæ conuentionis violatione probare poterit : nec erit difficile , in Gallia locupletes aliquos publicanos reperire , qui vectigal istud incertum aliquot centenis milibus redimere non dubitabunt : eadem conditione erit cum Batauis depaciscendum , qui nulla ratione , cum pro religione bellum se facere profiteantur , vt aliqua pars prædæ ad communem religionis Christianæ defensionem referuetur , poterunt recusare . Nisi forte cum rege inducias facere maluerint , quæ non solùm vniuersæ Belgarum ciuitati , sed toti etiam Europæ , ac Germaniæ , & Galliæ potissimum propter commercia , utiles admodum & pericundæ sunt futuræ ; quas æquissimis iam conditionibus impetrare poterunt , si vectigalia , quæ in diripiendis ciuibus , spoliandis peregrinis , ac demum in prædonibus , omnis

nis humanitatis religionisque ex-  
pertibus, alendis, ex paucorum se-  
ditiosorum hominum libidine, vano  
Hispanici nominis odio, nullo reli-  
gionis aut pietatis studio, temere  
impieq; consumunt, ad immanissi-  
mum illum Mahumeticum Tyrann-  
num, omnis religionis, pietatisque  
hostem repellendum conuertere  
voluerint. Angliæ quoque regina,  
sine ullo suo incommodo ex pyra-  
tarom mulctis iuuare multum pote-  
rit. Quibus, si adiecerit pecuniam,  
quam ex Catholicis religionis ne-  
glecta prætextu consequitur, vel ijs-  
dem integrum reliquerit, vt si Cal-  
vinianis noluerint institutis obtem-  
perare, vel ad bellum ipsi profici-  
cantur, vel poenæ loco, bonorum  
partem conferant, haud parum ad-  
iumenti accedet. Aut etiam si ef-  
fecerit, vt Anglicorum Pyratarum  
manus, quæ plus minus triginta mil-  
libus Oceanum infestat, cum Italicis  
triremibus coniungatur, plus etiam

præ-

prædæ sui consequentur, ac vicinis Germanis, Francis, Danis, Batauis, Scotis res fiet gratissima: Ab amicis enim, amicorū omnia communia æstimantes, rapere maximè consue- runt: Non minus profectò rempub. Christianam quam ullus Christianorum principum, nullis sumptibus, maxima laude isto auxilio recreare poterit. Maritimas etiā inducias Hispaniarum rex facile concedet. Hibernia deinceps non minus ab Anglis, quam Hungaria à Turcis afflicta prouincia, pro singulari Catholicæ religionis studio, quo gens ista præcateris ferè omnibus est laudanda, pecorum & fructuum, seu frumenti partem aliquā contribuere non grauabitur; vix enim aliæ diuitiæ, etsi nulla sit ferè in orbe nostro, quæ istam fertilitate, amoenitateq; supe-ret prouinciam, istis suppetunt hominibus. Scotia vero, si muletas, qui bus rixarum & seditionū authores, legib. sunt coercendi, huc contulerit;

finis

sine vlla regiorum vectigalium imminutione, non parum pecuniae poterit elargiri: atque hominum temeritas & audacia, hac ratione melius coercabitur: nullo remittendae pœnæ, vt sit plerumque, eoque magis ad audendum homines, natura ferocias, excitantur, relicto loco. Quæ si recte constituta, obseruataque fuerint: Anglia, Scotia, Hibernia, Battauorum ciuitas, simul, decies centena millia facile suppeditabunt, quæ in instruendis militibus Scotis & Hibernis, qui transmittentur, insumenda iudico. Sin Angli, Hollandi, Galli nihil adiumenti communicare voluerint, quod petitæ pecuniae deerit; ex Dania, Noruegia, & Svecia exiguo negotio accedet. In Scottis quidem & Hibernis nulla est futura mora. En tandem pecuniam in maximum bellum sufficientem: quæ sine magna aliqua ciuium iactura, non diminutis publicis regum aut principum vectigalibus colligi poterit,

terit, maiorem certè, quām Turco-  
rum tyranno ex tot tantisq; p̄uincijs  
quas obtinet, solui consueuit, quæ  
etiam nouis deuictis prouincijs, pro-  
culdubio indies augeretur. Sin verò  
Romanus Pontifex neglectis priua-  
torum opibus iure suo vti voluerit,  
maximam pecuniæ vim in istud bel-  
lum imperare poterit, quarta vecti-  
galium ecclesiasticorum parte, quæ  
pauperibus ex veteribus canonibus  
distribuebatur: Nunc verò, aut co-  
gnatis locupletandis, aut adulatori-  
bus, & turpib. personis alendis, à non  
paucis consumitur, exacta, vel quinta  
demū, vt antea sæpè, cum contentio  
summis Pontificibus cum nostris ef-  
set Christianis Imperatoribus, effla-  
gitare consueuerunt. Principes autē  
Euangelici, si noluerint in veterē il-  
lam maiorum distributionem de fru-  
ctibus Ecclesiasticis consentire, vt  
contentiosa duntaxat ecclesiæ vecti-  
galia sublatis litibus, in hanc rem, vel  
ad alendos saltem milites Christia-

nos, qui vulneribus aut morbis confecti, militiae superesse amplius non possint, recusare iure nequeunt. Regitur pecuniaria hoc modo constituta, milites adipisci graue non futurum esse, comperiemus; maximus enim nodus est in bello inopia rei pecuniariae. At in ijs colligendis delectus est diligenter habendus, ne molles, aut ignauos, aut laborum impatientes, aut ad munera militaria obeunda inutiles admittamus, vnde clades nobis maxime contingere solent: cum exercitus nostri non ex veteranis, aut robustis tyronib⁹, sed ex ignauis & luxuriosis homuncionib⁹, opificiorum desertoribus, conflantur; qui ad militiam, tanquam ad desidiæ licentiaq; perfugium conuolant: ubi, cum labor militaris accedit, ita flaccescunt; ut vires armorum hostilium strepitum, aut unius diei inediā, aut vigilias sufferre possint. Inde ægritudines, morbiq; contagiosi, clades, latrocinia coniequuntur. Nulla prorsus est in ipsis hominibus

bus aut religionis, aut virtutis, aut gloriæ cogitatio: incredibile est penè, quot ipse viderim, qui complures annos in bello ac castris transge-  
rint, tam ignaros, tamq; imperitos o-  
mnis usus, disciplinæ, exercitationis-  
que militaris; ut nec tela ipsa, quibus  
per tot annos vtebantur, intendere,  
aut dirigere, aut ordinem, quo in-  
structæ singulares cohortes proce-  
dere soleant, nec leges excubiarum,  
nec verba deniq; in castris in impe-  
rando usitata, referre possint. Atta-  
men isti mederi malo principes no-  
stri exiguo negotio poterunt, si in  
suis prouincijs delectum haberi sin-  
guli procurent, eorum qui ætate, cor-  
poris robore, & ingenio potissimum  
idonei, ad rem militarem esse vide-  
buntur. Ac ne inviti à liberis ac pa-  
rentibus quasi diripiatur, in singulis  
pagis plures diligendi sunt, ijsq; ipsis  
concedendum, ut inter se sortiantur,  
qui primi in militiam proficiisci de-  
beant: hisq; præter stipendium, quod

in castris recte integręq; persoluetur,  
immunitas domi à contributione est  
concedenda. Age vero , si ē singulis  
Germaniæ pagis , singulos tantū pe-  
dites delegerimus , infinitas penè pe-  
destres copias habebimus , quibus  
fanè egemus maximè : nam ex oppi-  
danis ac nobilibus , equites sat multi  
sua sponte aduolabunt ; sed septu-  
ginta duntaxat peditū & quindecim  
equitum Germanorū millia , requiro:  
ex Italia triginta peditū , equitū de-  
cē sunt millia diligenda: his octo ha-  
statorū Heluetiorum millia coniun-  
genda censeo : ex Scotia & Hibernia  
triginta peditū , equitum quoq; duo  
millia facile conducemus. De Hi-  
bernis autē affirmare non verebor,  
omnibus eos in Europa & studio iu-  
uandæ rei Christianæ ac laborū mi-  
litarium patientia , ac corporum ro-  
bore antecellere: qui trecenos illos ,  
ante sex annos in castris ducis Mai-  
nij Depæ , vel apud ducem Parmen-  
sem illam Hibernorum legionem vi-  
derint;

derint, mihi facile adstipulabuntur ; neq; ipsi negabunt Hispani , qui tam  
men omnium fortissimi & dici & ha-  
beri volunt. De Scotis quidem no-  
stris nihil opus est dicere , satis enim  
eorum virtus , ac robur in omnibus  
penè bellis , quæ in Europa suscipi-  
untur, innotescere consuevit. Polo-  
nia verò sine ullo reip. detimento,  
triginta dabit equitum millia : nam  
maiores copias educere, propter in-  
certam cum Moscis pacem, & inopi-  
natas Tartarorum irruptiones , non  
suaderem. Ex Lotharingia & Leodi-  
ensi prouincia, duo fortissimorū pe-  
ditum millia, cum equitibus mille &  
quingentis adipisci licebit. Ex Epi-  
rotis equitibus totidem : qui cum  
Scotis coniuncti , tanquam centauri  
in montes speculaturi excurrent:qua  
in re eorum præ reliquis vñs est  
præcipuus futurus. Omnibus deni-  
que persuasum esse debet , nihil ho-  
minipræclarius accidere posse, quam  
in tot fortissimorum hominum con-

specu, atq; adeò in ipsius terrarū or-  
bis luce, p patria, ac fide Christianā  
defendenda fortiter pugnando oc-  
cubere. Illudq; Bruti ciuis Romani  
fortissimi dictum, in omnium ore ac  
cogitatione perpetuo versandū est,  
nihil melius esse, quam memoria re-  
cte factorum, & libertate contentos,  
negligere humana, vel est canendum  
cum Eurialo apud Virgilium :

*Et hic, est animus lucis contemptor, & istum,  
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honore.  
Quæ ut milites præstet, exemplo du-  
ces præire, æquum est: in quib. deli-  
gendas, constituendasq; maximus est  
futurus nodus. Quoniam vnaquæq;  
natio suos duces optimè imperare,  
ac toti rei Christianæ præesse iudica-  
bit: æ qualib. obedire vnuſquisq; sibi  
de decori esse putabit; nec Germani  
Italis, nec Itali contra Germanis, vel  
Polonis, vel Scotis, vel Hibernis ob-  
temperare, æ quo ferct animo. Ipsum  
Cælarem præficere, aut principē ali-  
quem Austriacum, qui principum  
isto-*

istorum potentiam reformidant, sibi  
damno sum esse arbitrabuntur. Nulli  
tamen sunt principes, quorum autho-  
ritas maior aut voluntas, aut fides,  
seu religio sperari possit: nulli in oni-  
nes gentes magis æquabiles, nulli  
deniq; quib. cuncti & Italiæ, & alia-  
rum nationum principes tam facile  
concedent, vspiam reprirri poterūt.  
Siquidem imperatorem ipsum belli  
ducem elegerimus, animum illi &  
consilium, fortitudinemq; nunquam,  
sed opes tantum hactenus, desuisse  
omnibus probabit. Eadem poterit  
esse fratrum optimorum principum  
excusatio. Sin eos præterire volue-  
rimus; ad Poloniæ regem, robore  
corporis, ac mentis acumine præ-  
stantem iuuenē, cui nihil deest præ-  
ter vium, exercitationemq; militare,  
ad summi regis & belli ducis laudem,  
authoritatemq; adipiscendā, est de-  
ueniendum. Omnium etenim, ut ac-  
cepi, est linguarū peritus, quarū istis  
in castris magnus aliquis est futurus

vsus: accedit præterea culmen, fastigiumq; duorum maximorum regnorū; quæ facerent, vt reliqui principes, illius imperio subesse non indignum, aut minimè gloriosum esse putarent. Huic proximum Lotharingiæ ducem esse arbitror, cuius imperio submittere se propter summam prudentiam, fortitudinem, probitatemq; cum regij generis antiquissimo splendore coniunctam, nullus aut Italiæ, aut Germaniæ princeps, qui quidem stipendia mereri aut in castris Christianorum esse cupiat, idq; omne à Godofredo Billonio, ex eadem Lotharingica familia principe ducto, qui tanta virtute ac prudentia, simili in bello, tam feliciter rem Christianam administrauit, iure negare possit. Vel si principum simulationes, dissensionesue prohibuerint, vt populi, quorum opibus est bellum gerendum, in vnum aliquem ex istis consentire non possint; tum imperatoris nomine ac iusu, consti-

constituta iam re pecuniaria, ex omnibus orbis nostri prouincijs, vnde copiae colligentur, peritissimi, fortissimiq; belli duces accersantur; ac tandem insipientibus imperij principibus, cum exercitus lustrabitur, militibus potestas fiat, vt sibi quem velint supremum belli ducem nuncupent. Vel si id sine magnis contentionibus fieri non posse videatur; conuocatis principibus, sorte imperium vni, Persarum exemplo, deferatur. Quanquam frustra meo iudicio, ij qui Austriacorum potentiam reformidant, hoc nomine Cæsarem aut aliquem ex augustissima illa familia, summae rei præficere recusabunt: cum plerumque contingat, vt is, qui primus belli dux constituitur, molestiarum plurimum in re inchoanda, vtilitate ad sequentes deriuata consequatur: vix enim contingere solet, vt idem belli incepti, & confecti dux & author laudetur. At nunc de inferioribus ducibus videamus. Germanicū itaq;

c 5 equi-

equitatū qui ducat, Comitem Carolum à Mansfeldt, idoneū maximè esse censu~~rū~~, vel secundum eū Marchionem à Burgaue, vel Christianū principem Enhaltinum, vel Franciscum ducem Lauenburgensem: omnes enim in bellis iam exercitati, animum industriamq; sæpè militibus probarunt. Peditib. autem ex Hassia, Franconia, Saxonia, Comes Philippus ab Hoenloch; vel Mauricius Comes à Nassou, si relicta seditiosa plebe, ac inani inter Batauos principat<sup>o</sup> obtinendi neglecta spe, veræ militaris gloriæ laudem assequi voluerit: est enim consilio in re militari, ac peritia dirigendorum tormentorum, & munitionum extruendarū penè singulare, dux erit constituendus. Nam rebellis, etsi perpetua bellandi felicitate vñ fuerint, nihil ad hæredes, præter infamiam, ac perpetuum generis ac nominis odium transmittere, loannis Ziscæ Boëmi, quo felicior dum viueret nemo fuit vñquam, Tabori-

botiticæ coniurationis principis declarat historia. Horū alterutri in aliquā imperij partē e Dania Ranzouis, vir in consilijs militarib⁹, vt accipi, nō contemnendus, accedere poterit. Sueorum, Bauarorū, ac Rhenanorū peditū, Ferdinandum Bauariae ducē, aut Comitem ab Etting in Valderstein, præfectum esse delendum existimo. Vniuersarū autē Germaniæ copiarū, Archiduci Maximiliano potestas optimo iure est permittenda: vel secundūm cū Ernesto, Archiepiscopo Colonensi, vel fratris filio Maximiliano Ducī Bauariæ; qui vt aspectu Henricū ducē Guisiæ refert, omnium quos Gallia vidiit unquā principē fortissimū, optimumq; belli ducem; ita virtute etiam atq; in prælijs felicitate posse imitari, sperandum est. Milites porrò Leo dienses ac Lotharingos, aliquis ex ducum Lotharingiæ familia princeps: complures enim sunt his proximis annis in re militari apprimē eruditi: rogatus adducere non dubitabit.

PQ.

Polonicis autem copijs dux est veteri iure illius regni seu more maiorum constitutus Ioannes Zamoſcius, Cancellarius, eximiæ prudentiæ & fortitudinis opinione vir, vniuerso iam penè terrarum orbe celeberrimus. Scotis optimè vel Comes Bothuellius Nauarcha, vel Comes Arrellius supremus militiae Scoticæ præfectus, quem vulgo Connestabulum appellamus, præesse poterit: quorum utrilibet Coluilleum Baronem Vimensem, virum verè Scotum, id est, syncerum, fidelem, constantem ac fortem accedere peroptarem. Ex Hibernis Onellius dux aliquis aduocetur: illa iam enim familia inter Hibernos, qui libertatem retinent, generis antiquitate, & potentia antecellit. Ex qua gente ante octingentos annos in Germania contra paganos ut ex veterib. historijs apparet, belli duces extiterunt. Italorum pedestres copiæ regi utiliter ab Ioanne Mediceo, vel ab aliquo principe vi-

to, ex Vrsina vel Columnensi familia poterunt. Isti namq; his multis annis præ cæteris in Italia rei militaris perpetuam & hæreditariam quasi possessionem retinent. equites duci Ferrariæ in primis vel Parmæ sunt committendi: uterq; enim apud summos belli duces, rei militaris tyrocinium in equitibus ducendis fecit. Sed isto præfecturam equitum obtinente, alteri supremum in vniuersas Italiæ copias imperium permittendum esse iudicarem. At in Italia non erit de ducibus ac militarib. præfectis magnoperè laborandum. Ex his igitur aliquis idoneus, cui summum deferratur imperium eligi poterit. Sin suffragio res permittatur, imperator talis est constituendus, qui prouidere possit, ne vñquam inuitus omnibus copijs decertare cogatur, qui in acie dirigenda instruendaq; ne penitus vincatur, præcaueat, qualem secundum Galliæ regem, vnum esse hoc tempore principem, ducē Mainium mihi

mihi compertum est, quælaus apud veteres propria Pyrrhi Epirotarum regis, Hannibal & Nicanoris Lacedæmonij fuit: apud maiores nostros Roberti Brussij regis Scotorū, qui duodecim continuis quasi prælijs superatus ab Anglis, nunquā vincendi animum aut spem abiecit, donec penitus liberata patria hostium infinitis deletis copijs eum Romani Pontificis in Anglos pietas à vincendo reuocauit: qua imperatoria laude floruerunt non ita pridem Alexander dux Parmensis ex Italis, in Gallia duo Guisij deinceps duces, & Castillonius Admirallus, in Hispania dux Albanus, in Germania Ioannes ab Austria, & Albert<sup>9</sup> Marchio Brandenburgensis. De summo illo & verè maximo Imperatore Carolo V. nihil dico, nam nullo in ancipiti prælio, sciam, per se, sed per legatos, virtutis, felicitatisq; periculū fecit: his Scanderbegum illum, Epirotarum principem patrum memoria adnumerare

re possumus. Si quis itaque ex illis,  
quos primo loco memini: summus  
belli dux fieret, Mainio duci tecun-  
das esse partes deferendas & vices  
putarem, qui id visu & exercitatione  
militari efficeret, quod accedente  
summi ducis autoritate, victoriam  
facilem, laetitiamque constantem v-  
niuersae reipub. Christianæ concilia-  
ret. Duce namque nobis vel legato  
opus erit expedito, & parato, eoque  
qui imperium legitimum habeat,  
qui præterea autoritatem, nomen,  
& perspectum in repub. liberanda a-  
nimum, seu in quo sint imperatoriæ  
illæ virtutes, labor in negotio, for-  
titudo in periculis, industria in agen-  
do, celeritas in conficiendo, consi-  
lium in prouidendo, quæ uniuersæ  
in uno Vilartio Galliæ Nauarcha,  
seu Admirallo ex omnibus quos vi-  
derim maximè apparent. At cum  
nomen illi principis, & authori-  
tas desit, non facile illius impe-  
rio principes viri se subijciant.

Atqui

Atqui illius opera & consilio carere  
nequit Gallia, quamdiu cum hoste  
tam potente res erit: quæ est ratio,  
cur nec fortissimorum Hispanorum  
ducum militarium hoc loco memi-  
nerim, Hungarorum quoq; copias,  
& duces prætermitto, ut illis Cæsar  
in repub. Hungarica liberanda, con-  
firmandaque quamdiu cum Turcis  
extra Pannoniam res geretur, vti suo  
arbitrio & commodo possit. At ve-  
rò, ridebit Hungarus hic aliquis, aut  
alius quilibet, cui Germanorum vi-  
tia, non virtutes innotuerunt, Chri-  
stiani me exercitus summum princi-  
pibus imperium deferre, ac præci-  
puam copiarum partem ex ea gente  
conscribere, ex qua quatuor millia,  
Giauerinum Hungariæ firmissimum  
præsidium, abundante commeatu,  
trecenis relictis tormentis bellicis,  
inspiciente imperatoris Germano-  
rum fratre, toto exercitu Christiano  
ad soluendam obsidionem prope-  
rante, vix deiectis ulterioribus ag-  
geri-

geribus, nullis secundis, tertijſūe ex-  
tractis, vel inchoatis munitionibus,  
ignauē turpiterq; deseruerunt; ma-  
gnum hoc esse Germano nomini de-  
decus, non nego: Verūm id non mi-  
litum, sed ducis culpa, nec vniuersit  
Germanicæ nationis, sed paucorum  
ignauia contigit: quo modo fortis-  
simas Romanorum legiones, & de-  
letas, & sub iugum esse missas, vete-  
ribus monumentis accepimus: Eun-  
dem s̄x p̄ Lacedæmonijs fontem ca-  
lamitatis fuisse testantur historiæ.  
Hungari etiam ipsi, turpibus acce-  
ptis conditionibus ab ipsis istis Tur-  
cis frequenter sunt dimissi. Non mi-  
norem hac ætate Italos, qui Cyprum  
sibi insulam eripi sunt passi, & ijs qui  
Bredam munitissimum Belgij oppi-  
dum amiserunt, ignauiam exprobari  
vidimus. Galli item ridentur, qui Fa-  
lesiorum oppidum, ante paucos an-  
nos, hoste vix conspecto, aut diruto  
muro, vt singuli milites irrepere pos-  
sint, & ij quoque, qui tormentorum  
d loco,

loco, trabibus ostensis, rusticorumq;  
turba, cum paucis equitibus territi,  
Ebroicensem urbem, natura & arte  
munitam, cura se suisq; dediderunt.  
Hispanorum deniq; timiditas, simili  
ducis ignavia, in munitissimo Africæ  
præsidio, Turcis concedendo, ar-  
guitur. Nemo tamen Romanos il-  
los veteres, aut Lacedæmonios, non  
fuisse viros fortes, aut nunc Hunga-  
ros, Hispanos, Gallos, Italos militari  
laude non præstare dixerit. Qua in  
re, certè nullis Germani veteres con-  
cesserunt, neq; hoc tempore etiam  
Mansfeldio, vel Hoenloio ducibus  
concessuros affirmare possum. Quip-  
pe, qui partim viderim, ab alijs par-  
tim acceperim, Germanos numero  
pauciores, non raro Gallos, & Hi-  
spanos, minus pugnando supera-  
sse. Nulla gens robustior, nulla quæ  
terrore minus afficiatur, nulla ma-  
gis ducibus obsequens, aut militaris  
disciplinæ & laboris patiens, nulla  
deniq; magis idonea, ad omnes civi-  
les

Iles & militares artes ; si institutio ac-  
cesserit ; si præmia virtuti , honores,  
opœfue proponantur ; si stipendia  
solueris ; si prudentes & fortes duces  
præfeceris. At ne quis putet , me p-  
prio aliquo gentis istius studio , Ger-  
manicæ laudis agere præconem ; pa-  
tria , moribus , ac viuendi instituto ab  
istis hominib . ita dissentire me profi-  
teri non verebor ; vt nulla natio , aut  
ciuitas sit quam attigi , cum qua mi-  
nor mihi coniunctio , necessitudo ne  
intercedat. Italorum , Gallorū , Hun-  
garorum , Polonorum , Hispanorum ,  
Anglorum singularia aliqua in me  
merita extiterunt. A Germanis nihil  
vnquam nisi vulgare est profectum.  
Imo nescio quo meo fato , omnia  
non vulgaris acerbitalis plena con-  
tigerunt : armati latrones primo die  
quo fines ingressus sum , durissima  
pugna exceperunt , spoliârunt , atq;  
in duram mansionem detraxerunt ;  
nulla fidei aut humanitatis milita-  
ris , æquitatifue bellicæ habita ra-

d 2 tione :

tione: inde vacuum, summi etiam, ut  
illis videbatur, beneficij loco dimis-  
sum: Colonia prædonibus plus a-  
quo fauens ciuitas, non minore ru-  
sticitate in iuris gentium officio de-  
negando, in testibus aduersus latro-  
nes examinandis, est prosecuta. Ea-  
dem penè discedentis quoq; fuit in-  
felicitas. Non tamen veram istius  
nobilissimæ nationis laudem mihi  
dissimulandam existimo: non enim  
hic Gulielmum sed Christianum ago  
militem, qui nullis offenditionibus, à  
veritatis, pietatisque Christianæ stu-  
dio dimoucri debet: amplius dico,  
in vniuerso terrarum orbe meliores,  
quam in Germania, principes non  
reperi: nullibi in tanta religionum,  
imperiorum, publicæq; administrationis  
dissensione, tantam concor-  
diam, atque in tanta licentia, atque  
omnium penè delictorum impuni-  
tate, tantam securitatē publicè tran-  
quillitatemque esse. Quinetiam illo-  
rum hominum mihi præcipua quæ-  
dam

dam & innata sinceritas, atq; in dictis & factis constantia, excepta fluctuante religionis & incerta disciplina, semper visa est: qua in re non Germanorum modò, sed nostrorum etiam Scotorum, Anglorum, & Gallorum leuitatem mirari non desino; qui non adhibita Christiana regula, Ex operibus, eos, qui relictis veteris sanctimoniae mysterijs, pro castitate, incontinentia; pro voluntaria & Christiana paupertate, incredibili diuitiarum, rerumq; temporaliūm cupiditate; pro submissione, arrogantia, ambitioneq; seditionibus, principumque contumelijs, doctrinam initio confirmarunt, sequi non dubitant. Quo nomine Turcorum hostium pertinaciā (in re namq; mala, Constantiæ verbo uti non audeo) nostrorum hominum inconstantiæ prorsus anteponendam arbitror. Sed iam eō vnde digressa est, reuertatur oratio. Re numaria itaq; & exercitu constituto, commeatu,

seu annona opus erit: sine qua, nec res militaris administrari, nec exercitus constitui aut teneri, nec bellum geri potest. Frumenti quidem haud minus modijs sexcentis millibus requiritur: tantundem auenæ, seu pabuli esse oportet: vini plaustris centum millibus, cum ducentis boum, & sexcentis minorum pecudum millibus, tanta militum multitudo egebit. Frumentum cum peccoribus facile suppeditabit Polonia, Lituania, Moscouia, in Boristhene & Tanai fluijs. Constitutis stationibus, vino facile carere possumus, quanquam quod opus erit, ex Hungaria, & Valachia ac Græcia deinde, commodè consequemur. Si verò in Hungaria bellum erit, ex Austria, Italia, Germania, Polonia, Draua, Tibisco, Morauo fluminibus annona commeatusq; facilius deuehi poterit. In hanc rem autem constitutis annonæ præfectis idoneis, sexies decies aureorū millia sunt repræsentant;

tanda; ut annōnam rectē, & res ad vi-  
etum necessarias diligenter procur-  
rent. Quam pecuniam, non nisi an-  
no decurso, ut restituāt est pacis cen-  
dum. Et si qua rei numariæ diffi-  
cultas inciderit, isti à militibus signa pu-  
blicæ uotæ, quæ statuta solutionis  
die verorū numerorū loco rependant,  
accipiant. Stationes deinde, quibus  
& comeatus securè & milites etiam  
deuehi poterūt, sunt designandæ, ea-  
que præfectis ciuitatū cura est demā-  
danda; ut nec militib. extra stationes,  
ad viatum necessaria præstentur; neq;  
ipsis sine vitæ discrimine transire alio  
liceat, ne impunè vias latrocinij, a-  
gros direptionibus infestent. Quam-  
obrem Hispаниcorū exercituū more,  
literarum & iurisperiti indices sunt  
constituendi, qui refutatis militaris  
licentiæ excusationibus, seuerè ius  
dicant, eorumq; sententias obstricti  
iuramento præfecti non retarda-  
bunt; castrorumque Mareschalcī, ut  
vulgo dicimus, abolitione, nulla

aut venia expectata, nisi maximis ex  
caulis, exequentur: semperque fa-  
lutaris severitas, inanem vincat spe-  
ciem clementiae. nam si clementes  
duces esse voluerint, seditiones, ca-  
des, latrocinia, in tanta hominum,  
linguis, moribus, ac religionis insti-  
tutis discrepantium frequentia, nun-  
quam deerunt, non tamen ita levia  
delicta suppliciorum aëribitate sunt  
punienda; ut homini vita statim, vel  
caput adimatur: sed vel ad inferio-  
rem militiam, vel ad opus fossorum  
& cuniculos agentium, donec vir-  
tute rursus sceleris macula eluctur,  
condemnandus est reus: quo etiam,  
ne inutili hominum turba, annona  
carior fiat, calones omnes & lixas  
destinare oportet. quorum nume-  
rus, in tanto exercitu ad quælibet o-  
pera adhibitis aliquot peritis fossio-  
num magistris, e metallorum fodinis  
accersitis, idoneus inuenietur. Iam  
vero, rebus omnibus ita procuratis,  
vniuerlas in Pannoniam copias de-  
duce-

ducere, operæ pretium erit. Nam si-  
mul, atq; istius expeditionis fama a-  
pud hostes increbuerit, vndiq; Tur-  
ci eò conuolabunt. Per Carinthiam  
igitur & Austriam, Italorum copiæ  
descendant: per Boëmiam, Fran-  
ciorum, Suevorū, ac Rhenanorum auxi-  
lia, coniunctis Heluetijs deueniant:  
per Morauiā Saxones, Hassij, Silesij.  
Hibernis & Scotis longior multò &  
difficilior est futura via, per Daniam,  
Prussiam, Poloniā; indeq; coniuncto  
Polonorum equitatu, in Hungariam  
ad locum in dicti exercitus est transe-  
ūndum. Vbi in castris postea metan-  
dis, ac regionibus, vt dicitur, militi-  
bus assignandis, accurate cauendum  
erit, ne homines moribus, aut vere-  
ri aliqua contentione, æmulatione-  
nūe discrepantes coniungas; vt omnis  
seditionis, tumultus nūe causa præci-  
datur. Itaque Polonis vicina sunt,  
Scotorum & Hibernorum diuersio-  
ria: in medio Germani sunt collo-  
candi, minus etenim diligentes, in

d s excu-

excubijs & vigilijs agendis haberi  
solent: his proximi sint Galli, post  
Heluetij, quos Italorum copiae se-  
quantur, illa in regione, vnde peri-  
culi plus imminere videbitur; quippe  
quæ diligentius excubias agere, ac  
prudentiores in insidijs hostium eu-  
tandis depellendisq; esse consue-  
runt. Si quæ demum contentiones,  
rixævne inter diuersarum istarum na-  
tionum homines inciderint; auditor  
generalis, vt Hispanorum in discipli-  
na militari vſitato verbo vtar, singu-  
lari prudentia aliquis literarū & lin-  
guarum peritus esse debet; qualem  
in Belgio doctorem Salinas vidimus,  
qui cognita causa, conuocatis natio-  
num, vnde rei erunt, militum præfe-  
ctis, inferioribusq; auditorib. ius di-  
cat. Sed isto in bello, principis alicu-  
ius viri authoritas, cuius iudicio alij  
etiam principes obtemperare non re-  
cusent, in tanto exercitu requiretur.  
Neq; enim ipsum Imperatorem, aut  
summum belli ducem istis conten-  
tio-

tionibus occupare velim, ne, offensis  
damnatorum animis, negligendi de-  
inceps imperij occasio detur. Con-  
fidentes enim & amicos habere mi-  
lites, maximum esse vincendi præsi-  
diū, optimē tenem illum apud Ful-  
gosium, Garsiam Nauarræ regem, a-  
lumnum suum, initio prælij cum Fer-  
dinando Legionense rege initi, mo-  
nuisse prælij docuit euentus: quod vt  
consequatur, humanitate, fide, libe-  
ralitate, facilitate debet eniti; vt Cy-  
rus, qui singulorum militum nomina  
callebat, & Cambyses, liberos emo-  
rituri docuerunt. Atqui hac nostra  
memoria, quoscunq; belli duces ex-  
cellentes vidi, in hoc vnum præcipue  
incumbebant: quinetiam, quod ex  
fortissimis Galliæ & Nauarræ regis  
militibus audiui, referre possim, cum  
eos aduersarij à partibus regijs spe  
maioris ac certioris stipendij dehor-  
tarentur, regi numos non habenti; fi-  
de tamen ac virtutibus principis in-  
signi, malle gratis, quam alij cuilibet

mer-

mercede inferuire: quo militum studio, incredile penè dictu, Galliam paucis his annis exiguis copijs recuperauit: hoc Villartium etiam ad summos in Gallia honores euexit, hoc Archiducem Maximilianum præ reliquis Austriacis principibus hoc tempore celebrem efficit. Hac demum ratione Sigismundus Batho-rcus, Transyluaniae Princeps, ad summam in re militari laudem effor- cere incipit. Cæterum hoc, vt à per- ritissimo Hispano duce accepi, vnū Hispanos inuidos reddit: duces e- nīm omnes, ita se erga milites ge- runt, ac si fratres essent, aut liberi; eaque est coniunctio, vt qui ducem deleruerit suum,, vix unus reperia- tur. Sin peregrinum aliquem, qui pari humanitate facilitate vni ne- scit, ducem eisdem præfeceris; egre- gij nihil eos præstare posse sum ex- pertos. Haud frustrà igitur principi, aut belli duci præcauendum dili- genter esse sentio; ne suorum ani- mos

mos offendat, neue illum in dictis aut factis minimè constantem æstimant, neue domestici & familiares fidem illius aut auaritiam reprehendunt: ab ijs enim ad alios, ad quos res minimè pertinet, offensio facile deriuatur: neq; principibus vlla calamitas vñquam, quæ non à familia- rium offensione profecta sit, à ciui- bus illata reperitur. His itaque non solum quod promiseris est præstan- dum; sed onnes etiam gratificandi quærendæ occasions, omnium de- sideria exploranda, nominaque, vt de Cyro retulimus, & de Matthia Hungariæ rege scriptum reperimus, tenenda; atque, vt idem dicere so- lebat, ijs vti, qui veritate potius, quam adulacionibus gratiam aucu- pantur, generosi maximè & regij est animi; nec non iudicare, vt Hanni- bal suis in castris putauit, milites vir- tute, non genere certare oportere, eumque ciuem & popularem esse, vt ille de Carthaginensi, qui hostem fe- riet

riet quisq; erit. At verò, si Cæsar ipse  
bello præfuerit, Archicopū Co-  
lonensem , vel Episcopum Virce-  
burgensem , vel Salentinum Comi-  
tem ab Aesenburg, prudentiā, autho-  
ritate, & linguarum cognitione, idō-  
neum maxime esse censeo. Sin mi-  
nor aliquis , aut isti , quos memini  
principes viri, prouincijs abesse non  
poterunt; neminem uspiam istis ipsis  
ornamentis, quæ memini , ac diuer-  
sarum gentium usu, & consuetudine,  
nec non studio denique ac volunta-  
te iuuandæ rei Christianæ , Ioanni  
Conrado Kotuitzio ab Aulenbach,  
equestris ordinis viro , atq; Ecclesia-  
sticorum honorum titulis insigni,  
Decano Virceburenſi præferen-  
dum esse puto. Neque mirum cui-  
quam esse debet , cur Ecclesiasticum  
virum aut Catholicum & Germa-  
num , hoc munere potissimum fun-  
gi velim : nam Catholici Itali , Gal-  
li , Poloni, Hiberni, Ecclesiastici vi-  
ri arbitrio facilius obsequentur. Eu-

ange-

angelici Germani & Scotti, Germanici hominis fidem non ita suspectam, aut iudicium habebunt: aliqui Zamoscium Poloniæ Cancelleriū omnibus, propter imperatorias virtutes, cum literarum scientia coniunctas, præferendum existimare. Eadē prorsus, in procedendo nostris erit copijs tenenda ratio, primam aciem ducant Itali cum Heluetijs, medijæ sint Gallorum & Germanorum legiones, ultimum agant agmen Scotti, Hiberni, Poloni. Si prælium erit ineundum, pro varietate locorum & hostium, qui primi apparebunt, erit dimicandum. Quanquam hostibus in more positum esse accepi, pedites in plura agmina, quorū alia quadratum, alia triangulum, alia suadrā fabrile referant, distributos, equestribus turmis, ad instar dimidiatae lunæ, vel disruptæ fornicis circundare, ac primū ignauos maxime, & rudes exponere, vel vt illorum sanguine hostiliū telorum acies retundantur,

vel

vel ut ipsi, cùm se pro ignauis habet  
ri viderint, ostendandæ virtutis cau-  
sa pugnent audacius: alijq; sequen-  
tes, nerues magis intendant, cùm se  
à ducib. pro ultimo discrimine tan-  
quam fortissimos reseruari videant.  
Optimos præterea quoslibet veter-  
anos, donec hostes dissipatos, aut  
exultantes victoria, ordines non ter-  
uare compererint, continere solent:  
quæ illis ars, octo maximis nobilcū  
prælijs, sex cum Persis & Aegyptijs  
victoriā peperit, amplissimumq; im-  
perium confirmauit. At Persæ tan-  
dem illam ludere calliditatem didi-  
cerunt: Christiani verò, nullo hac te-  
nus prælioterrestri, suis se incommo-  
dis, ac belli offensionibus peritiores,  
cautiorescue factos esse ostenderunt:  
nihil enim ad istos pertinet hostes  
expeditio Godofredi Bullonij, cuius  
memoria, quandiu stabit res Christi-  
ana, nobis sacrosancta esse debet.  
Hic itaq; cauendum erit, ne Polo-  
norum audacia, vel Italorū superbia,

aut

aut Germanorum negligentia, aut Gallorum temeritas, aut Scotorum, Hibernorumque ferocia, consiliū vincendi, rationemq; in prælio committingendo, vincat: ac ne cogi ad pugnā possimus, neūe pugnemus, nisi maximo nostro commodo, ac certa quasi victoriæ spe. Quæ duo, ut consequatur, regionem, in qua præliandum erit, notā ita belli dux habere debet; ut nec riūulus ullus, nec arbustum, nec tumulus cū non perspect⁹ existat. Simulandaq; erit prælij vitatio, ut inconsultiū nostro simulato timore, hostis audacior factus aggrediatur, quo nullum maius victoriæ adiumentum esse poterit. At verendum est tamen, et si cum quadringentis hominum millibus ipse Turcorum tyranus nostris occurrat, ne leuibus cum nostris prælijs aliquot commissis, ita nostrorum virtutem, & robur, armorumq; firmitatem, quibus Barbaris antecellimus, reformidet; ut remissa illa superbia, ac ferocia Mahometi-

ca, quam ostentare solet, imperij si-  
nes, sine prælij discrimine tueri velit.  
Tunc verò, Guibj fortissimi Ducis,  
in dissipandis illis Germanorum co-  
pijs, quibus Baro Daneus Dux erat,  
coniunctis etiam aliquot Gallorum  
hæreticorum millibus, exigua qua-  
tuor millium manu sunt imitandæ:  
Suspiciones perfidiæ inter Duces  
clam ferendæ: noctu insidiæ, per-  
spectis hostilium castrorum regioni-  
bus, & oppugnationes tentandæ;  
ne nostris deniq; nos artibus iugu-  
lent, prouidendum. Sin & his nihil  
profecerimus, ancipiti Marte rum-  
penda est mora; ita tamen; vt in a-  
perta vi, ars & industria imperatoria  
præluceat. Quod consequimur, si ita  
peritè nostras instruamus acies, vt  
hostium equitatus, cui fidunt maxi-  
mè, nobis multum nocere non pos-  
sit; ac ne tormenta, quib. abundant,  
nos lædant, prouideamus; ac demū si  
in omnem prælij euentum, aciē, vbi  
summus belli Dux consistet, ita fossis  
&

& aggeribus munitam, vel curribus  
ac vehiculis obuallatam, ut penetra-  
re hostis nō possit, efficiamus. Primi,  
ad occupanda inimicorum tormenta  
sunt Hiberni mittendi, qui equos  
ipsos cursu exæquantes, obseruato  
militari ordine ac gradu, supini so-  
lent eiaculari. His proximos adiun-  
gam Scotos, audaces omnia perpeti,  
qui post vnum aut alterum impetum  
tormentis eminus, gladijs cominus  
acriter ita rem gerere didicerunt, ut  
tormenta eos, pulsis Ianizeris, posse  
in potestatem redigere, non sit du-  
bitandum. Sequantur aliquot e-  
quitum Italorum turmæ, quibus a-  
larum instar, sint equites Germani,  
post agmina peditum Germanorum,  
cum aliquot equitum alis, equites  
Poloni latera, cum peditibus Gallis,  
Hibernis, Scotis oppugnent: quibus  
deinceps recentes Germani pedites,  
adiunctis equitibus, veterum more,  
alarum loco succedant. Sin in Hun-  
garia res erit, Hungaris alterum erit

Iatus relinquendum: at extra Hungariā educi eos nolim, donec recuperata patria, de suis rebus securi, consuetudinē amicitiamq; cum Turcis intermittere non laborent. Italorum acies, coniunctis hastatis Helvetijs, ac equitum Germanorū milibus quinq; subueniat; quæ defatigatis Germanis & Scotis, Romanè prælium ineat. Reliquæ demum copiæ, cum summo belli Duce, paratis vndiq; maioribus tormentis consistant, nec loco se moueant vniuersæ; sed Imperator auxilia laborantibus submittere diligenter, atq; vt disruptæ nostræ acies recentibus copijs succurrentibus subito restituantur, attendat. Epirotæ & Scoti equites, cum aliquot Polonorum millibus, à lateribus agmini erunt Imperatorio relinquendi, qui recentes fugientem tandem hostem persequantur. In omnib. deniq; nostris agminibus, subito turres, vnde leuioribus tormentis, quam hactenus Turcis visa fuerint,

rint, in medias hostium acies eiacu-  
lemur, extruere poterimus. Quo mo-  
dò directis aciebus, ante re frumen-  
taria procurata, comparatis numis,  
milite delecto, talibus, quos memi-  
ni, ducibus, in bellis accerrimis ab in-  
cunabulis educatis, nostros robore  
corporis, armorū vsu, præstantiaq;,  
& consilio antecellentes, iustis deni-  
que & necessarijs belli gerendi causis  
coactos, hostes illos Asiaticos, ho-  
mines naturā timidos & in prælijs  
parum exercitatos, Turcicæ iam diu  
tyrannidis pertæfos, inermes penè,  
quorum maxima pars plus præmij,  
libertatē, nimirum, & amplas posse-  
siones, more nostrorum nobiliū, ex  
nostra, quām ex suorū victoria spe-  
rare poterunt; debellare facile pos-  
se, quis negabit? equidem accepi,  
Ducē Guisium, & Mareschalcum Bir-  
ronium Gallos, summos, omnium,  
qui nouerunt, iudicio, belli Duces,  
familiariter quodā de Turcis sermone,  
palam definiuisse, maximas quas liber-

Turcorum copias, à Christianis triginta millibus prælio vinci posse; & et si ijs, qui veteres historias attigerunt, non incredibile videri poterit; in medio relinquendum censeo. neque ego vt uno tantum prælio, sed vt bello superentur consulo. Quod, vt efficiamus, non tam nostris, initio vt vincant, quam ut superatis hostibus, victoria cautè recteque, vtantur, laborandum esse iudico: non solutis ordinibus insequendi fugientes, non victoriæ confidendum, quam diu singuli in campis apparuerint, expeditioribus militibus, cum peritissimis Ducibus, qui fugientes, noetas & dies insequantur, nostro in ipsis hostium castris, confirmandæ victoriæ causa consistente Imperatore, donec inimici, vel penitus deleti, in præsidium aliquod sese receperint, dimisis. non tamen, si plures superfuerint, temerè cingendi obsidione, aut oppugnandi sunt; ne victoria, nostris factis negligentioribus,

in

in summa rerum desperatione graue  
damnum aliquod inferant: sed in-  
tercludendus commeatus, donec re-  
creato nostro & lustrato exercitu,  
curatis militibus, diuisa præda, inte-  
gris quasi copijs aggredi rem possi-  
mus. Sin facilis videbitur oppugna-  
tio, non omittenda, nouis alioquin  
munitionib. extructis, ne commeatu  
nos prohibere possint, est proceden-  
dum. Sin hyems immineat, ac dimi-  
nutus ita noster exercitus videbitur,  
vt non adiunctis nouis copijs à finib.  
abire non sit integrum; in remotio-  
rib. Turcorū puerijs, tentandi præ-  
fectorum animi, vt depulsa seruitute,  
libertatē assumāt, ex seruis domini &  
Principes fiant: vt ciuili bellotyranni  
vires diminuantur: nō violandi à no-  
stris ritib. abhorrentes Christiani, be-  
nignè, si qui dediderint sese hostes,  
excipiendi, fideliterq; pacta seruan-  
da, cruciatibus, perfidiæ, impietatiq;  
renunciare nō cogendi. Sed Christi-  
anæ pietatis & disciplinæ seminaria,

ad quæ liberos dimittere teneantur,  
instituenda sunt, ipsos adhortationi-  
bus, ex ipso suo Alcorano allatis, ac  
rectè viuendi exemplis ad Christian-  
am fidē amplectendam inuitemus.  
Illud etenim ad hostium perfidiā re-  
fellendam, nostramq; religionē con-  
firmandā, argumentis abundat. Ne-  
que verò homines, si ad nouum ali-  
quē pietatis ritum vi coegeris pios,  
sed omnis religionis pietatisq; deser-  
tores ac cōtemptores effeceris. Haud  
enim effic i poterit, quin quale, quid-  
que videatur, talem quisq; de eo o-  
pinionem habeat, quinetiam diffici-  
le est mutare animum, & si quid est  
penitus insitum moribus, id subito  
euellere. Est igitur id, quod lenti &  
considerati iudicis esse, ex Marco  
Tullio refert Marcellus, in nouis ri-  
tibus inducendis, mente tenendum,  
cūm parcere vel lādere possis, igno-  
scendi quæras causas, nōn puniendi  
occasions. Alioquin, constans &  
diurna victoria, quæ deuicti popu-  
li

li libertatē, religionemq; penitus tollat, esse non potest. Nihil amplius, aut de sequentibus prælijs, aut temporibus dico, constituta etenim re Christiana, nos auxilia nancisci, ac vincere deinceps, facilius est futurum. Omnes namq; re feliciter, vt spes est, gesta, quantumuis initio ab isto bello abhorruerint, copias libenter adiungēt. Principes Asiæ & Africæ fœdera nobiscum haud inuiti sancient: non tamen est nostris temerè virib. & copijs confidendū, aut hostis cōtemnendus; sed cautè fortiterq; bellandum, ne q; maioribus nostris accidit, qui Iudæam Saracenis eripuerunt, nobis iam victorib. nostra culpa contingat. Neq; confessim Bizantij oppugnatio est tentanda, sed arcibus extructis obsidenda; vt paulatim annona, ac defensorum numerus imminuatur; qua arte Parisios, his proximis annis debellasset Rex Nauaræ, si Parmæ Dux opportunè suppétias non tulisset. Ac tū demum classe

vtendū erit, vt mari commeatum ad-  
uehere hostes prohibeamus: post, si-  
quidem fame ad deditioñē cogi non  
posse videbuntur, vrbs acriter oppu-  
gnanda, Turcorumq; pertinacia, in  
eadem vrbe, & Rhodo etiā ac Baby-  
lone expugnandis, maiorū memoria  
est sequenda: nec ante in Natoliā in-  
de transmittendum, quām accepto  
supplemento, deuictas prouincias  
munitas ac tutas à Tartarorum &  
Scytharum incursionibus & vi effe-  
cerimus: atq; vt deuicti Græci, nihil  
nostris in Asia occupatis innouent,  
robustissimi quilibet diligendi, qui  
stipendio nobis militent, quiq; illa-  
rum regionum æstum facilius quām  
nostrī, terre possint; nostris, quos ca-  
loribus flaccescere magis arbitrabi-  
mur, in deuictis vrbibus præsidij lo-  
co relictis. Hic deniq; non est omit-  
tendū, q; Noueus belli Dux fortissi-  
m⁹, quatuor annis debellari Turcos  
posse lcriptū reliquit: at consentien-  
tes omnes populos Christianos, ve-  
lis

lis equisq; ut dicitur, bellum vult facere. quod quidem summi viri, militari scientia, & bellandi laude celeberrimi consilium, à viro prudentiæ & sanctitatis opinione apud exterias nationes non obscuro, non improbari solum, sed contumelijs etiam acerbi<sup>9</sup> excipi, s<sup>æ</sup>pè mirari soleo. Verum id fortassis aut inani catholicæ religionis studio, aut nimia hæreticis obloquendi cupiditate, vir bonus, temere scriptum exposuit: non enim Hannibali, aut Scipioni, aut Julio Cæsari, aut ei<sup>9</sup> aduersario Pompeio, alijsue summis veteribus belli Duci- bus laus detrahenda, aut cōsilia eorum contemnenda, si quid recte ab illis dictū, factumue reperimus, ideo q; à nostræ religionis cultu fuerint alieni: at nihil isto hominum genere importunius esse, cū religionis normam, & sanctimoniac cancellos, quos sibi sponte circumscriptos, egressi, ad ciuilia vel militaria Principum consilia transferint: Sebastiani regis

Portu-

Portugaliæ in Africa clades , & non  
ita pridem classis Hispanicæ calamiti-  
tas, ac belli deniq; istius Gallici eu-  
etus satis superq; declarant. Cæterum  
hæc ab ijs, qui vel Bodinum, vel No-  
ueum ab istius conuitijs vindicabūt,  
copiosius referentur. Ego quidē et si  
Nouei summi viri animū & studium,  
præ omnibus, quos vidi vnquā, Cal-  
uinianis laudem, nec tanto viro ob-  
loqui audeam , cùm incerti sint bel-  
lorū euentus, ac leui quasi momento  
pendeāt, tam breui tempore bellum  
confectum iri, affirmare non possum:  
amplum etenim est hostium & diues  
imperium, multi præterea, ac magni  
Principes & populi, in Asia & Africa,  
eiusdē impietatis sectatores existunt;  
qui ad suum, contra nostros , Mahu-  
metum defendendum , copias con-  
iungēt. ita vt quamuis multis hostes  
prælijs superemus , celeriter tamen  
bello vincere nō possimus , nisi Ale-  
xandi magni in bellando felicitas,  
vt eodem ferè tempore, quo prouin-  
ciam aliquā attigerimus, in potestate

redigamus, à Deo nobis Opt. Max.  
obtigerit. Nam si Cæsar Galliā sedi-  
tionibus conflagrantē, vix decē an-  
nis deuicit, & populus Romanus an-  
tē in eo ferē imperio, q̄ nunc Turci  
occupat, acquirendo, triginta & am-  
plius annis fuit occupatus: quis nos  
tam potenti hosti tā exiguo tempo-  
ris spatio, arma, imperiū, ditionemq;  
amplissimam, extorquere posse pro-  
babit? Nec diuidendas ita nostras  
corias esse censeo, vt à vi ventorum,  
aut præliandi aut vincendi facultas  
dependeat, nec nisi maximis sumptu-  
bus instrui classis initio poterit, quin  
etiam mare illis, ante quam Bizantiū  
perueniamus, tanquam pontem, quo  
fugiant, relinquere fortassis operæ-  
pretū erit. At ista videant iij, quibus  
ea vel honorum, vel muneris, aut of-  
ficij alicuius causa consulendi cura  
incumbit; q̄ ijs est facile, qui melius  
singulas regiones, ac singulorū ciuiū  
fortunas perspectas habent: mihi ve-  
rò satis est, digitū ad fontes intendis-  
se, ac potentiorū animos ad salutaria  
consi-

consilia inuestiganda , commouisse.  
 Nam intermissis literis, mē castra nūc  
 iuuant, & lituo tubæ permistus soni-  
 tus, vel si quid temporis ab istis est  
 curis reliquum, ignotos homines &  
 vrbes videre , ita vt etiam si maximē  
 velim, libros adipisci non possim, vn-  
 de aliquid elegantioris , vel sermo-  
 nis vel rei isti meæ scriptioni affinge-  
 re potuerim : eaq; lubens ornamen-  
 ta illis concedo, qui in scholis, ac li-  
 terarū delitijs delitescunt. Ego, qui-  
 bus potero, vel factis, vel cogitatio-  
 nibus, istam mihi vitām, omissis ver-  
 borum lenocinijs, traducendam pu-  
 tabo, quæ potissimū ad diuinī nomi-  
 nis laudē tuendam , atq; ad liberan-  
 dos, iuuandosq; ciues Christianos  
 pertinere videbuntur, ac studijs, of-  
 ficijsq; scientiæ præponenda iustitiaz  
 officia, quæ pertinent ad communē  
 reipub. Christianæ utilitatem , qua  
 nihil homini Christiano antiquius  
 esse debet, perpetuo iudicabo.

F I N I S.

SYM-

S V M M A C O N S I L I I .  
C A P I T A.

Arma capere

Vtile,	ſ	est.	Græcia moneret,
Honestum,			Hungaria petit,
Necessarium,			Germania dat,
Nummimi,	ſ	nō deſt.	Italia promittit,
Milites,			Polonia deliberat,
Duces,			Veneti expectant,
Ratio certa,	ſ	ſunt.	Hispania vult,
Via facilis,			Gallia nō impedit,
Annona non diffici- lis,			Anglia cauet,
Præda ingens,	ſ	appa- ret.	In medio est Hol- landia,
Gloria immortalis,			Hibernia festinat,
Victoria haud du- bia,			Scotia nō moratur,
			Dania consentit,
			Suecia non recusat,
			Alia sequentur.

Quid moramini?

992461  
I F F  
Viuite fortis,  
Fortiaq; aduersis opponite  
pectora rebus.



L I P S I A  
IMPRIMEBAT MICHAEL  
LANTZENBERGER,  
Impensis HENNINGI  
GROSII Bibliop.

A N N O  

---

M. D. XCV.